

De necessitate Eucharistiae ad salutem

Autor(en): **Klodnicki, Gustavus**

Objekttyp: **Article**

Zeitschrift: **Divus Thomas**

Band (Jahr): **7 (1920)**

PDF erstellt am: **06.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-762843>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

lateinische versio antiqua hat: similiter esse contingentes et insensatos, das Griechische Zeile 6: ὁμοίως εἶναι καὶ τοὺς τυχόντας καὶ τοὺς ἀνοήτους, welche Worte mit den vorausgehenden Susemihl p. 215, I. Teil seiner Ausgabe der Politik trefflich so wiedergibt: „Es ist eben nicht wahrscheinlich, daß jene ersten Menschen viel andere Leute waren als die ersten besten und unverständigen von heute“, wie die Mythen von denen zu erzählen wissen, die vorgeblich zu Deukalions Zeiten aus der Erde hervorgebracht wurden, und deshalb erscheint es ungereimt, daß man bei ihren Gesetzen und Verordnungen beharren soll.“

So spricht denn Aristoteles gemäß diesem Text von den Erdgeborenen wie von etwas, was wohl möglich ist. Der Zusammenhang seiner Lehre zeigt uns auch, daß ein Vorgang wie die Entstehung von Menschen aus der Erde ihm zufolge möglicherweise nicht nur einmal, sondern unzählige Male vorgekommen ist.

Hieraus folgt, daß die andere Stelle über die Erdgeborenen (gen. animal. 3, 11) auf keinen Fall eine Instanz dagegen abgibt, daß Aristoteles die Ewigkeit der Welt überall gleichmäßig vertritt.

Da es aber eben hiergegen auch wohl sonst keine Instanz gibt, so möchte der Ertrag unserer Diatribe sein, daß die Ewigkeit der Welt und der Schöpfung für den Stagiriten gleichsam ein Axiom ist, an dem er sich nie einen Zweifel beikommen läßt.

Köln, 21. Dezember 1919

DE NECESSITATE EUCHARISTIAE AD SALUTEM

Scriptis P. GUSTAVUS KLODNICKI S. S. S.

I

S. Thomas in Summa theologica aperte docet Eucharistiam esse de necessitate mediæ ad salutem, etiam pro parvulis baptizandis. „Dicendum, inquit (I q. 73 a. 3) quod in hoc sacramento duo est considerare, scilicet ipsum sacramentum et rem sacramenti. Dictum est autem (art. præc.) quod res huius sacramenti est unitas corporis mystici, sine qua non potest esse salus.“ Porro „res alicuius sacramenti haberi potest ante perceptionem sacramenti ex ipso voto sacramenti percipiendi“ et hęc

est praecise, quod contingit semper, quoties sacramentum baptismi confertur cum intentione saltem implicita faciendi id quod facit Ecclesia, nam pueri qui baptizantur, „sicut ex fide Ecclesiae credunt, sic ex intentione Ecclesiae desiderant Eucharistiam et per consequens recipiunt rem ipsius“ (ibidem in corpore). Non minus clare et determinate exponit Doctor Angelicus suam doctrinam in quaestione 79, art. 1: „Videtur quod per hoc sacramentum non conferatur gratia. Hoc enim sacramentum est nutrimentum spirituale. Nutrimentum autem non datur nisi viventi. Cum ergo vita spiritualis sit per gratiam, non competit hoc sacramentum nisi habenti gratiam. Non ergo per hoc sacramentum confertur gratia, ut primo habeatur... Respondeo dicendum, quod effectus huius sacramenti debet considerari primo quidem et principaliter ex eo quod in hoc sacramento continetur, quod est Christus; qui sicut in mundum visibiliter veniens contulit mundo vitam gratiae secundum illud (Ioan. 1, 17): *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est*, ita in hominem sacramentaliter veniens vitam gratiae operatur secundum illud (Ioan. 6, 58): *Qui manducat me, vivet propter me*. Unde et Cyrillus dicit: „Vivificativum Dei Verbum, uniens seipsum propriae carni, fecit ipsam vivificativam“... Ad primum ergo dicendum quod hoc sacramentum ex seipso virtutem habet gratiam conferendi; nec aliquis habet gratiam ante susceptionem huius sacramenti, nisi ex aliquo voto ipsius, vel per seipsum, sicut adulti, vel voto Ecclesiae sicut parvuli, sicut supra dictum est“ (q. 73 a. 3).

Ex his verbis S. Thomae probant Salmanticenses (de Eucharistiae sacramento disp. 3 n. 13) Eucharistiam in voto absolute dicendam esse medium ad salutem necessarium. „Quo nihil expressius, aiunt, pro nostra assertione dici potuit; siquidem aperte affirmat Divus Thomas neminem vel adultorum vel parvulorum consequi primam gratiam absque Eucharistiae voto. Nec ulla ratione audiendus est Vasquez dicens sermonem esse de voto adimplendi praecepta: in quo clauditur votum suscipiendi hoc sacramentum sicut et votum ieiunandi et exequendi alia quae praecipunt Deus et Ecclesia. Nam absurda haec et valde crassa interpretatio refellitur ex verbis quae Sanctus Doctor immediate subiungit: „Unde ex efficacia ipsius sacramenti

est, quod etiam ex voto ipsius aliquis gratiam consequatur, per quam spiritualiter vivificetur.“ Ubi id non revocat ad praeceptum, sed ad naturam ipsius sacramenti: cuius tanta est efficacia, quod vel in voto susceptum causet illammet gratiam, quam efficit sacramentum baptismi: et ab hac radice probat eius necessitatem, quae proinde non est solius praecepti, sed medii, ut etiam in baptismo contingit. Confirmatur amplius ex eodem Sancto Doctore: nam infra quaest. 80, art. 11, inquit: „Dicendum quod duplex est modus suscipiendi hoc sacramentum, scilicet spiritualis et sacramentalis. Manifestum est autem, quod omnes tenentur saltem spiritualiter manducare: quia hoc est Christo incorporari ut supra dictum est quaest. 73, art. 3. Spiritualis autem manducatio includit votum, seu desiderium percipiendi hoc sacramentum ut supra dictum est in eodem loco. Et ideo sine voto percipiendi hoc sacramentum non potest homini esse salus.“ In quibus aperte asserit quod tam necessarium est ad hominum salutem votum istud, quam incorporatio cum Christo: quam nemo negabit esse necessariam necessitate medii ad salutem.“

II

Doctrina de absoluta necessitate Eucharistiae saltem in voto non fuit a S. Thoma primo excogitata, sed in Traditione catholica, maxime vero in operibus S. Augustini clare continetur, sicut iam pridem multis theologis persuasum erat et nuperrime adhuc luculentius demonstratum est¹. Nihilominus sententia opposita, quam tenuerunt Vasquez Suarez et Lugo extra scholam thomisticam evasit longe communior et etiam hodie a nonnullis acerrime defenditur. Ita Otto Lutz, impugnando in ephemeridibus „Zeitschrift für katholische Theologie“ (Innsbruck 1919) sententiam Nicolussi de necessitate Eucharistiae in voto proprie dicto, haec affirmare non dubitat:

1. S. Augustinus in quaestione de salute parvulorum docuit aut necessitatem solius baptismi absque ulla relatione

¹ Nicolussi S. S. S., Die Notwendigkeit der heiligen Eucharistie. Bozen 1917. Springer S. J., Hat der hl. Augustin geirrt in Betreff der Notwendigkeit der Kommunion? „Pastor bonus“ (Trier) 1912/13.

ad Eucharistiam spiritualiter sumptam, aut necessitatem communionis sacramentalis (p. 241 et 252).

2. De mente S. Thomae certo non constat. Si tamen necessitatem Eucharistiae pro parvulis revera docuerit, tunc erravit et audiendus non est (p. 268).

Talia asserta sine debita refutatione manere non debent. Respondemus ergo:

1. Utrumque membrum propositi dilemmatis est falsum.

2. Sententia vera non potest alibi inveniri, quam in doctrina S. Thomae de necessitate absoluta Eucharistiae saltem in voto.

Quod S. Augustinum attinet, ipse Lutz concedit, eum verba Domini: „*Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis*“ (Ioan. 6, 54), etiam ad parvulos extendisse affirmat tamen haec testimonia S. Patris non de Eucharistia intelligi debere (p. 239). Augustinus, inquit, probabilius duplicem sensum illius versus evangelici admittit, unum relate ad sacramentum Eucharistiae, alterum relate ad sacramentum baptismi. In scriptis polemicis contra pelagianos solummodo de hoc ultimo sensu loquitur ac proinde nil aliud quam necessitatem solius baptismi asserit (p. 248). Sed de ista singulari distinctione apud ipsum Augustinum nulla fit mentio, immo plane contrarium facile et evidenter probatur. Inspiciamus singula testimonia, saltem principalia.

1. „An vero quisquam hoc dicere audebit quod ad parvulos haec sententia (Ioan. 6, 54) non pertineat possintque sine participatione corporis huius et sanguinis in se habere vitam?“ (De pecc. mer. et rem. l. 1 c. 20¹).

De quo sacramento loquitur hic S. Pater? Responsio habetur in verbis immediate praecedentibus: „Dominum audiamus, inquam, non quidem hoc de sacramento lavacri dicentem, sed de sacramento sanctae mensae suae.“

2. „Optime Punici christiani baptismum ipsum nihil quam salutem et sacramentum corporis Christi nihil aliud quam vitam vocant. Unde, nisi ex antiqua, ut existimo, et apostolica traditione, qua Ecclesiae Christi insitum

¹ Migne P. L. 44, 124.

tenent, praeter baptismum et participationem mensae dominicae non solum ad regnum Dei, sed nec ad salutem et vitam aeternam posse quemquam hominem pervenire? Hoc enim et scriptura testatur." Deinde refert S. Pater ad „sacramentum mensae dominicae“ tres textus ex capite 6 Ioannis, in fine vero subiungit: „Si ergo, ut tot et tanta divina testimonia concinnunt, nec salus nec vita aeterna sine baptismo et corpore et sanguine Domini cuiquam speranda est, frustra sine his promittitur parvulis“ (lib. cit. c. 24; Migne 44, 128).

Quid istis verbis S. Augustini clarius? Nonne absurdum est dicere, quod hic de Eucharistia nullus omnino sit sermo, vel quod necessitas solius baptismi doceatur?

3. „Sancto Innocentio vide, quid respondeas . . . qui parvulos definivit, nisi manducaverint carnem filii hominis, vitam prorsus habere non posse. Huic responde, immo ipsi Domino, cuius iste Antistes usus est testimonio“ (Contra Julianum l. 1 c. 4; Migne 44, 648).

Agitur iterum de textu evangelico Ioan. 6, 54. Lutz categorice affirmat: S. Innocentius inde nil aliud demonstrare voluit, quam necessitatem solius baptismi (p. 248 s.). Sed si hoc verum esset, tunc sequerentur conclusiones plane inadmissibiles, nempe: a) S. Augustinus doctrinam Innocentii de necessitate baptismi ad vitam aeternam pro nova definitione dogmatica habuit, b) Verba Ioan. 6, 54 tamquam aptum fundamentum talis definitionis consideravit. Insuper de hoc testimonio Innocentii idem procul dubio sentiendum est, ac de adhuc clariore testimonio, quod 60 annis post mortem S. Augustini edidit Papa Gelasius: „Ipse, inquit, Dominus Jesus Christus coelesti voce pronuntiat: ‚Qui non manducaverit carnem filii hominis et biberit eius sanguinem non habebit vitam in semetipso‘, ubi utique neminem videmus exceptum, nec ausus est aliquis dicere, parvulum sine hoc sacramento salutari ad vitam aeternam posse perducı.“ Hoc „salutare sacramentum“ ait Lutz iterum de solo baptismo intelligi debet (p. 249 s.). Sed contra evidentiam verborum frustra est argumentatione dubie solida ad contextum remotum provocare. Et ne ullus ambigendi locus relinquatur, ipse Gelasius mentem suam adhuc clarius determinat; nam paulo post eadem verba Domini denuo citat immediateque subiungit: „De vita aeterna hoc dictum nullus addubitat, quoniam multi non manducantes

hoc sacramentum vitam habere videantur praesentem.“ Ergone de „manducatione baptismi“ loquitur S. Papa? Quis talia unquam audivit?

4. „Unus militum lancea latus eius aperuit et continuo exivit sanguis et aqua. Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret: latus eius percussit aut vulneravit aut quid aliud, sed aperuit; ut illic quodammodo vitae ostium panderetur, unde sacramenta Ecclesiae manaverunt, sine quibus ad vitam quae vera vita est non intratur“ (Tract. 120 in Ioan.; Migne 35, 1953) Hic textus bis in breviario romano occurrit (in festis SS. Cordis Jesu et Pretiosissimi Sanguinis). Si quis ergo affirmat: „unum est tantum sacramentum Ecclesiae sine quo ad vitam, quae vera vita est, non intratur“ profecto iam non solum S. Augustino aperte contradicit, sed etiam in re dogmatica textum liturgicum ab Ecclesia praescriptum contra se habet. Atqui lex orandi est lex credendi.

5. „Cum cibo et potu id appetant homines, ut neque esuriant neque sitiunt: hoc veraciter non praestat nisi iste cibus et potus, qui eos a quibus sumitur immortales et incorruptibiles facit; id est societas ipsa sanctorum: ubi pax erit et unitas plena atque perfecta.“ (Tract. 26 in Ioan.; Migne 35, 1614). S. Augustinus deducit hic ex convenientia signi sacramentalis proprietatem essentialem Eucharistiae et docet: „societatem sanctorum ubi unitas erit perfecta veraciter non praestat nisi cibus et potus eucharisticus.“

In eodem tractatu paulo post invenimus textum sequentem: „Ut quisquam vivat propter me, participatio facit qua manducat me“ (Migne 35, 1615).

Hoc modo explicat S. Augustinus verba Domini Ioan. 6, 58 per quae, ut ait, Iesus Christus „gratiam mediatoris ostendit.“ Utique non gratiam perseverantiae finalis nec aliquam gratiam particularem non omnibus necessariam, sed simpliciter gratiam, qua „propter Iesum vivimus“ vel „qua vita nostra ad eum refertur“. Unde hanc gratiam habemus? Secundum S. Augustinum eam „participatio facit qua manducamus Christum“, i. e. communio eucharistica. Uterque textus non est mere patristicus, sed simul etiam liturgicus, occurrit enim in tertio nocturno solemnitatis Corporis Domini. Ergo iterum valet axioma: lex orandi est lex credendi.

Allata testimonia¹ iam invicte demonstrant S. Augustinum docuisse absolutam necessitatem Eucharistiae tamquam sacramenti peculiaris, a baptismo distincti, ac proinde primum membrum dilemmatis Lutz esse omnino falsum. Secundum nec ipse admittere audeat. Et iure quidem merito. Nam praeter textum classicum ex epistola 12. S. Fulgentii (Migne P. L. 65, 390) in ipsis operibus S. Augustini plures inveniuntur loci, ubi S. Pater clarissime affirmat solam susceptionem baptismi re vera ad salutem parvulorum sufficere. Quid ergo dicendum? Evidenter unum ex duobus: Vel S. Augustinus sibi ipsi contradicit et modo veram modo haeticam doctrinam de salute parvulorum tenet, vel semper vera docet et proinde, quoties necessitatem absolutam Eucharistiae affirmat, non de communione sacramentali parvulorum, sed de communione spirituali cum susceptione baptismi inseparabiliter coniuncta loquitur. Ex hisce duabus sententiis prima, utpote satis absurda et S. Patri maxime iniuriosa, a nullo theologo catholico serio admitti potest; secunda — e contra — omnino conformis est doctrinae S. Thomae absolute dicentis: „sine voto percipiendi hoc sacramentum non potest homini esse salus“, necnon doctrinae Catechismi Romani: „Etiam prima gratia nemini tribuitur, nisi hoc ipsum sacramentum (sc. Eucharistiam) desiderio et voto percipiat“ (p 2, c. 4, n. 50).

Conclusio patet. Ne tamen aliqua species dubii positivi relinquatur, sequentia adhuc notare iuvabit.

Efficacia Eucharistiae in voto est inde a Concilio Tridentino dogma catholicum (Denzinger 881). Agitur ergo de applicatione veritatis, quae iam in traditione apostolica saltem implicite continebatur, et proinde S. Augustino latere non potuit. Certum est quoque, sententiam eorum qui dicunt parvulos baptizandos huiusmodi voti (sensu proprio) capaces non esse, a mente S. Augustini fuisse prorsus alienam. Sane, eadem est profecto capacitas vel incapacitas parvulorum respectu voti Eucharistiae proprie dicti (i. e. desiderii communionis eucharisticae tamquam boni cogniti), ac respectu actus fidei, ante susceptionem baptismi eliciendi. De hoc autem S. Pater clarissime locutus est. „Recte, in-

¹ Sextum testimonium (et quidem maximi momenti) citabimus, mox infra. Sex alia inveniuntur apud Springer, l. c. p. 577 s.

quit (parvuli) fideles vocantur, quoniam fidem per verba gestantium quodammodo profitentur“ (De pecc. mer. I, 19; Migne 44, 123) et iterum: „Ubi ergo parvulos ponimus baptizatos? . . . Inter eos qui crediderunt! Hoc enim eis acquiritur per virtutem sacramenti et offerentium responsionem“ (l. c. I, 33; Migne 44, 145). Denique in epistola CCXVII ad Vitalem invenitur locus in hac quaestione plane peremptorius: „Scimus, ait S. Augustinus, parvulos secundum ea, quae per corpus gesserunt, recepturos vel bonum vel malum, gesserunt autem non per se ipsos, sed per eos, quibus pro illis respondentibus et renuntiare diabolo dicuntur et credere in Deum. Unde et in numero fidelium computantur pertinentes ad sententiam Domini: dicentis: *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit.* Propter quod et illis qui hoc sacramentum non accipiunt contingit, quod sequitur: *Qui autem non crediderit condemnabitur.* Unde et ipsi, sicut dixi, si in illa parva aetate moriuntur, utique secundum ea, quae per corpus gesserunt, id est tempore, quo in corpore fuerunt, quando per corda et ora gestantium crediderunt vel non crediderunt, quando baptizati vel non baptizati sunt, quando carnem Christi manducarunt vel non manducarunt, quando sanguinem biberunt vel non biberunt, secundum haec ergo, quae per corpus gesserunt, non secundum ea, quae, si diu hic viverent, gesturi fuerant, iudicantur (Migne 33, 984). Absoluta necessitas professionis fidei „per corda et ora gestantium“ clarius exprimi vix potest¹. Sed etiam necessitatem Eucharistiae S. Pater hoc loco expressis verbis testatur. Tria sunt, inquit, quae parvuli in vita sua, licet non per seipsos, necessario gerere debent: credere, baptizari, Eucharistiam sumere. Quis non videt perfectam conformitatem inter hanc doctrinam S. Augustini et illam S. Thomae? Nos ergo innixi summa auctoritate utriusque, tuto affirmare possumus:

Sicut sine actu fidei ita etiam sine voto Eucharistiae nemini unquam contingit iustificatio. Parvuli enim qui baptizantur, sicut ex fide Ecclesiae credunt, sic ex intentione Ecclesiae desiderant Eucharistiam et per consequens recipiunt rem ipsius.

¹ E. contra Lutz necessitatem fidei ante baptismum aperte negat . . . „Convenienter admittendum est, ait (l. c. p. 256), parvulos,

III

Demonstrata necessitate voti Eucharistiae in susceptione baptismi, manet adhuc demonstranda eius natura et existentia. Votum de quo loquimur non potest esse explicitum, ut per se patet. In ritu enim baptizandi nulla fit mentio explicita Eucharistiae, et ex altera parte fide certum est, ad salutem parvulorum practice obtinendam nil aliud requiri, quam collationem baptismi cum intentione faciendi id quod facit Ecclesia. Agitur ergo de voto implicito, quod propter intimam et naturalem relationem baptismi ad Eucharistiam admitti debet non aliter ac votum baptismi in contritione perfecta infidelium. Hoc argumentum eleganter exponit Gonet in „Clypeo Thomistarum“ (Tract. de Eucharistia, disp. II, art. IV). „Omnia sacramenta, inquit, instituta sunt a Christo tamquam instrumenta quibus nobis communicatur virtus passionis ut illi uniamur et incorporemur tamquam membra capiti. Sed effectus iste, qui est unire et incorporare nos Christo, essentialiter et per se pertinet ad Eucharistiam, quae realiter continet corpus Christi et coniungit nos illo: ergo reliqua sacramenta non possunt habere istum effectum nisi in virtute Eucharistiae et in ordine ad ipsam... Cum per baptismum incorporemur Christo realis susceptio baptismi est mystica et spiritualis receptio Eucharistiae et votum implicitum et virtuale illius; est enim (ut supra dicebamus) quaedam inchoatio vitae spiritualis, quae ex se et ex natura sua ordinatur ad suam perfectionem, consummationem et finem, qui non est alius quam unio et incorporatio cum Christo... Ex dictis intelliges speciali quadam ratione includi votum Eucharistiae in baptismo qua non includitur in aliis sacramentis.“ Haec utique sunt verissima, et susceptio sacramentalis baptismi merito considerari potest tamquam votum improprie dictum Eucharistiae. Sed quaestio est, utrum huiusmodi votum ad proponendam integram de absoluta necessitate Eucharistiae doctrinam sufficiat. Nonne superfluum et fictitium est necessitatem voti statuere, quod nullum actum voluntatis significat et nullum effectum peculiarem in genere causae efficientis producit? Nonne etiam parum probabile videtur admittere, quod res unius sacramenti possit obtineri per

sicut sine propria cooperatione (Zutun) culpam originalem contraxisse, ita etiam sine propria cooperatione ab ea liberari.“ Cur ergo minister Ecclesiae ad parvulos baptizandos varias quaestiones dirigit?

solam susceptionem alterius? Plane diverse sentiebat de Eucharistia in voto sumpta Doctor Angelicus.

„Hoc sacramentum ex seipso virtutem habet conferendi gratiam ut primo habeatur“ (q. 79 a. 1).

„Spiritualis manducatio includit votum seu desiderium percipiendi hoc sacramentum“ (q. 80 a. 11).

„Pueri qui baptizantur sicut ex fide Ecclesiae credunt, sic ex intentione Ecclesiae desiderant Eucharistiam et per consequens recipiunt rem ipsius“ (q. 73 a. 3).

Praesertim ultima verba constituunt textum vere classicum pro nostra sententia. Agitur enim secundum S. Thomam de desiderio baptizandorum, hoc desiderium fertur non in aliquod obiectum indeterminatum sed in Eucharistiam et ipsum est, a quo res Eucharistiae tamquam effectus ac causa pendet. Manifestum est ergo, quod S. Thomas votum proprie dictum (licet implicitum et per „ora gestantium“ emissum) in mente habuit. Neque de existentia istius voti dubitandum est. Rationes enim supra allatae, quibus sacramentum baptismi ad Eucharistiam ordinatum esse ostenditur, valent a fortiori de voto baptismi, quod in ultima responsione ritualis romani: „Vis baptizari? — Volo“ explicite continetur. Insuper novae rationes accedunt, sententiam nostram valde consolidantes. Voluntas enim hominis, in fide et inchoativo saltem amore Dei fundata, iam naturaliter in unionem cum ipso, tamquam summo bono et fine ultimo, tendit. Quomodo ergo potest censerī non appetere simul cum ablutione aqua baptismali etiam unionem eucharisticam, si veram intelligentiam tanti beneficii divini et tam plenae perfectaeque cordis nostri satietatis possideat? Atqui parvulus baptizandus, qui iam pridem „salem sapientiae“ gustaverat, ministro Ecclesiae orante „ne diutius esuriret, sed cibo expleretur coelesti“, et qui nunc cum suo patrino unam personam moralem efficit, in conspectu Ecclesiae profecto nec insipientia nec ignorantia mysteriorum Dei laborare censetur. Postulans ergo ope baptismi habitum caritatis erga Christum Dominum, necessario desiderat etiam unionem eucharisticam cum ipso, et ideo unico vocabulo „volo“ duplex emittit votum: baptismi scilicet et Eucharistiae. Sed votum baptismi, quippe quod circa rem pro hic et nunc possibilem versetur, habet solummodo valorem dispositivum et nullum producit effectum ante susceptionem ipsius sacramenti. E contra votum Eucharistiae non est

dispositio ad communionem sacramentalem, sed vera communio spiritualis, quae ex seipsa virtutem habet gratiam eucharisticam producendi, sicut Concilium Tridentinum expresse definivit (Denzinger 881). In nostro utique casu hic effectus non potest sequi immediate, quia baptizandus manet adhuc in statu peccati originalis, sequitur tamen infallibiliter statim ac obex gratiae per collationem sacramenti fuerit ablatas.

Supposito igitur voto eucharistico in ipso ritu baptizandi implicite incluso, ad salutem parvulorum practice obtinendam iam nil aliud requiritur, quam id quod facit Ecclesia. Res Eucharistiae, sine qua (ut ait S. Thomas) homini non potest esse salus, procedit quidem essentialiter a voto Eucharistiae tamquam effectus a causa efficiente, sed in collatione baptismi applicatio materiae et formae constituit unicum signum visibile utriusque gratiae sacramentalis: gratiae iustificationis, cuius est causa efficax per se, et primae gratiae eucharisticae seu incorporationis in Christo, cuius est causa efficax per accidens.

Corollarium. Card. Billot S. J. admittit quidem cum S. Thoma absolutam necessitatem Eucharistiae quoad rem sacramenti, sed nomine voti proprie dicti intelligit solummodo votum per seipsum emissum, casu baptismi non excepto (ubi tamen ex intentione Ecclesiae patrini cum baptizandis manifeste unam personam moralem agunt) et proinde statuit thesim: „Etsi res sacramenti Eucharistiae quoad sui inchoationem sit medium necessarium ad salutem, non tamen est necessitate medii necessarium sacramentum ipsum, nec in re, nec in voto proprie dicto“ (De Ecclesiae sacramentis⁴. Tomus prior. Romae 1906, p. 317). Seu aliis verbis: res Eucharistiae potest obtineri per solam susceptionem baptismi cuius effectus (ut ait) non absurde consideratur tamquam votum improprie dictum Eucharistiae. Tota ergo quaestio de necessitate Eucharistiae pro parvulis esset omnino identica cum quaestione de necessitate baptismi. Huic propositioni, salva debita reverentia erga tam magni nominis auctorem, consentire non possumus. Aperte enim contradicit doctrinae S. Thomae et in seipsa videtur nobis (ut supra iam diximus) parum probabilis. Censem igitur S. Thomam, quoties necessitatem absolutam Eucharistiae affirmat, non

merum figmentum sed realitatem et veritatem docuisse. Eo vel magis, quod ad explicandam et vindicandam hanc eius doctrinam sufficit provocare ad testimonium S. Augustini de imputabilitate eorum quae parvuli baptizati non per se ipsos, sed per suos patrilios egerunt (Ep. ad Vitalem supra citata¹).

II

Praecipuae obiectiones ab adversariis doctrinae de absoluta necessitate Eucharistiae excogitatae facile solvuntur.

1. Eucharistia est essentialiter cibus et potus spiritualis. Atqui cibus et potus ad initium vitae non requiritur. Ergo

Resp. Dist. mai. Ratio cibi pertinet ad essentiam signi visibilis — *conc.* Ratio cibi pertinet ad essentiam gratiae sacramentalis — *nego.* Manducatio scilicet et praesentia realis Christi in sumente (donec species corrumpantur) nequaquam considerari potest tamquam gratia essentialis sacramenti, sed est potius eius applicatio ut signi et causae illius unionis spiritualis, vi cuius manemus in Christo sicut palmites in vite. Hoc patet etiam ex definitione Concilii Florentini (Denzinger 698), ubi effectus Eucharistiae dicitur simpliciter „adunatio hominis ad Christum“. Affirmandum ergo putamus: Effectus peculiaris Eucharistiae in genere causae efficientis non est essentialiter nutritio animae per modum cibi, sed unio spiritualis cum Christo Domino, a quo tamquam fonte et principio vita in nos derivatur. Ceterum hanc obiectionem solvit iam S. Thomas in Summa theol. (q. 79 a. 1).

¹ Lutz in dissertatione saepius citata totus est in impugnando voto Eucharistiae, de propria vero opinione clare non loquitur. Ex una parte (p. 251 et 268) videtur cum Card. Billot admittere, rem Eucharistiae esse ad salutem necessariam, ex altera vero (p. 259) laudat et suam facit sententiam eorum qui dicunt inter baptismum et Eucharistiam nullas relationes speciales intercedere et proinde necessitatem Eucharistiae non esse maiorem quam necessitatem adimplendi omnia praecepta Dei et Ecclesiae. Haec ultima tamen sententia hodie vix serio sustineri potest. Cf. etiam: Grimm-Zahn, Geschichte der öffentlichen Tätigkeit Jesu (Regensburg 1895, t. II, p. 509-513); Springer S. J., Erklärung von Joh. 6, 52-59 (Linzer Quartalschrift 1918, p. 98-111); Nicolussi S. S. S., Die Wirkungen der Eucharistie. Bozen 1918, p. 19-39.

2. Ceremoniae baptismi in casibus urgentioribus omitti possunt. Ergo votum Eucharistiae, quod in eis contineri dicitur, nequit esse de necessitate medii ad salutem.

Resp. Ecclesia, ut notum est, in necessariis ad salutem solet supplere, si potest. Atqui hanc potestatem respectu parvulorum in actu baptismi certo habet. Ergo nec de ipso facto dubitare licet. Immo, si haec obiectio quidquid valeret, tunc etiam professio fidei („sine qua nemini unquam contigit iustificatio“) dicenda esset non necessaria.

3. Ecclesia, si potest supplere votum Eucharistiae, deberet similiter supplere etiam votum baptismi, ne ullus parvulorum damnaretur.

Resp. Nego paritatem. Potestas Ecclesiae manifestè extendit se non ad omnes parvulos infideles, sed solummodo ad eos, qui vel ordinario modo ad suscipiendum baptismum ministro Ecclesiae afferuntur, vel in casu urgenti ex licentia generali valide baptizantur. Baptizans tamen semper debet habere intentionem saltem implicitam faciendi id quod facit Ecclesia.

4. Media ad salutem absolute necessaria debent esse omnibus fidelibus nota. Atqui votum Eucharistiae a plerisque ignoratur. Ergo.

Resp. Dist. mai. Si usus vel efficacia medii pendet ab eius cognitione — *conc.* Secus: *nego.* In nostro casu non quaeritur, utrum votum Eucharistiae debeat emitti, necne, sed: quatenam sit necessitas voti, quod ex institutione ecclesiastica semper emittitur. Intelligentia autem huius quaestionis non est pariter de necessitate medii ad salutem, et ideo res potuit ignorari sicut e. g. ignorabatur dogma de infallibilitate Romani Pontificis.

5. Votum Eucharistiae non est necessarium in baptismo adultorum qui iam sacramentaliter communicare possunt. Hi ergo sine voto Eucharistiae iustificantur.

Resp. Nego suppositum. Etiam adulti non possunt utrumque sacramentum eodem prorsus momento suscipere. Atqui incorporatio Christo (quod, ut supra diximus, a voto Eucharistiae tamquam effectus a causa efficiente procedit) non est in opere iustificationis aliquid extrinsece superadditum, sed ipsius gratiae iustificationis intrinsece constitutum. Ergo incorporatio Christo a gratia baptismali ne brevissimo quidem tempore potest separari.

6. Nemo unquam audivit votum Eucharistiae esse necessarium ad secundam iustificationem. Ergo nec ad primam.

Resp. Nego paritatem. Per baptismum conferuntur homini gratiae hucusque non habitae, per absolutionem vero sacramentalem restituuntur gratiae amissae. Simul cum aliis restituitur etiam incorporatio Christo, quae ceterum a habitu caritatis realiter nunquam separatur.

7. Secundum S. Paulum „*consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem*“ (Rom. 6, 4). Ergo incorporatio Christo est effectus baptismi, non Eucharistiae.

Resp. Dist. Consepelimur cum Christo per baptismum quatenus hic effectus cum eo semper et necessario coniungitur, per eumque visibiliter tempore iustificationis demonstratur — *conc.*; quatenus baptismus producit hunc effectum directe et per se — *nego*. Sacramenta enim Novae Legis producunt id quod significant. Atqui sepultura nostra cum Christo per ablutionem aqua baptismali minime significatur. „Consepelli cum Christo in mortem“ evidenter idem est ac „uniri cum Christo passo“. Quaestio ergo est: ad quodnam sacramentum huiusmodi unio pertineat? Audiamus S. Thomam: „Baptismus, inquit, est sacramentum mortis et passionis Christi, prout homo regeneratur in Christo virtute passionis eius; sed Eucharistia est sacramentum passionis Christi, prout homo perficitur in unione ad Christum passum“ (S. th. III q. 73 a. 3). Habemus itaque novum argumentum pro nostra sententia de absoluta Eucharistiae necessitate: nam sine unione cum Christo passo in terra nemo sperare potest unionem beatificam cum Christo glorioso in coelis. Hoc sacramentum est vere „pignus futurae gloriae“, sicut de ipso aperte testatus est Christus Dominus: „*Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam aeternam et ego resuscitabo eum in novissimo die*“ (Ioan. 6, 55).

DIE PSYCHOLOGIE DES JOHANNES CASSIANUS

Von Dr. LUDWIG WRZOŁ

(Fortsetzung aus V, p. 180—213, 425—456)

c) Der Wille und seine Freiheit

1. Die Freiheit und Indifferenz des Willens

1. (Die Tatsache der libertas arbitrii.) Man möchte die Überzeugung von der Willensfreiheit das Grund-